





9
1774/14.
IVS VITAE ET NECIS
PRINCIPIS EX RATIONIBVS
IVRIS PVBLICI VNIVERSALIS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISEVVRGENS.

S O C I O

P. 430.
IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XIII. OCTOBR. ANNO MDCCCLXXIV.

D E F E N D E T


A V C T O R

CAROLVS GOTTLOB ROESSIG

MERSEVVRGENSIS.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



INVS VITAE ET MORTIS
SACRIFICII ET REDEMPTIONIS
HIS IN DIEBUS
MORTUOS REDEMPTOS
D. CAROLVS HIERONIMVS DE WYNG
IN BRITANNIA
CANTONIS ROTTERAMI
IN OFFICINA
LITHOGRAPHICA
M. J. G. DE WYNG

11
12
13

C

V

P A



VIRIS ILLVSTRIBVS
EXCELLENT. GENEROSSIMIS
DOMINO
CAROLO FERDINANDO
A LINDEMANN
PRAESIDI VICARIO CAMERAE
ELECTORALIS.

ET

DOMINO
VICTORI CAROLO
A VIETH
PRAESIDI VICARIO
COLLEGII GENERALIS ACCISAE

PATRONIS FAVORIBVS
PIE DEVENERANDIS
SANCTVM.

VERBODEN TOEGANG
TOEGANG VERBODEN
CAROLUS-FRANCOIS
FRANCOIS-CAROLUS
FRANCOIS-CAROLUS

FRANCOIS-CAROLUS
FRANCOIS-CAROLUS
FRANCOIS-CAROLUS
FRANCOIS-CAROLUS
FRANCOIS-CAROLUS

FRANCOIS-CAROLUS
FRANCOIS-CAROLUS
FRANCOIS-CAROLUS





§. I.



Magnus est eruditorum dissensus circa
ius summi Imperantis in vitam subiecto-
rum ob delicta, si e republica videatur,
illam ipsis eripiendi, tum, vt laeso satis-
fiat et reipublicae, tum, vt caeteri deterreantur; at-
que etiam, si necessitas postulet, subiectum vitae pe-
riculo exponendi.

§. II.

Ex antiquissimis temporibus summis imperanti-
bus hoc est vindicatum, sed ex rationibus parum
aptis

aptis. Quoniam enim maiores nostri locis quibusdam sacrae scripturae peruersè intellectis induci, imperantes a Deo ipso nemine intercedente constitui credebant, omnia illis iura, quae Iudeorum regibus competiisse legimus, tribuunt; in quorum numero etiam est, ius vitae et necis, atque ita ab ipso Deo principes hoc accepisse putabant. Sed refutata iam est illa opinio, Deum reges sine medio constituere. Refellerunt eam eruditorum doctrina et experientia, quae reges a populo eligi testatur, quamvis impium esset, a re tam graui omnem Dei vim remouere. Atque ita ex hoc principio non potest deduci hoc ius principis. Accedit, non intelligi, qui competere aliis, qui sacras literas ignorant, principibus possit?

§. III.

Alii fundamenti leuitatem perspicientes, aliam ingressi viam, ex pacto singuli cum principe habere principem ius vitae et necis in singulum subditum, dixerunt. Fingunt scilicet, quemcunque, dum ad ciuitatem accederet, se subiicere poenis in legibus delictis constitutis adeoque capitis poenae, si sit crimini proposita. Nec ab hac opinione alienus videtur TREVERVS AD PVFFENDORFIVM *de Offic. Hom. et ciu.* p. m. 509. *Imperii itaque, inquit, terminis ius poenae in vitam ciuium recalci-*

*recalcitrantium inuoluit, ut pote in quod quisque ciu-
um consensit.*

§. IV.

At quale pactum! Qui possum de vita pacisci
mea, quae non mea est, sed ad Deum pertinet, quem
si causa interitus mei ipse sum, laedo? Qui de re
aliena possum pacisci, nisi qui rem hanc mihi con-
cessit, ratum habeat? Quod de Deo statuendum non
est, cum primam legem homini proposuit sui ipsius
conseruationem.

§. V.

Quae rationes excitauerunt quosdam, ut con-
tra hoc principis ius bella mouerent, quorum dux ei
antesignanus est BECCARIA Itatorum acutissimus, qui
in libello de criminibus atque poenis id principi eripe-
re studet. Et ex eo inprimis tempore disceptatio
orta est: vtrum principi ex lege rationis competat
ius vitae et necis, nec ne? Ius principis esse, Beccaria
plane negat; *est atque inquit §. 26. nullum ius morte pu-
niendi, sed poena mortis est bellum societatis ciuilibus cum
quodam ex ciuibus ideo susceptum, quoniam mortem eius
aut necessariam putat esse, aut utilem.*

§. VI.



§. VI.

Quantum in nobis est vindicare hoc ius principi, in animo habemus. Deus hominem ad finem certum condidit, quod a sapientissimo fieri aliter non potuit, quem, ut consequatur, hominis conseruatio primum erat medium; atque ita prima lex erat necessaria. Conserua te ipsum; ac ne ipsi se inuicem destruerent homines, pacem externam ipsis iniunxit, aliosque laedere interdixit, partim, ut alii seruarentur, partim, ne quis bello, quod laesus habet, destrueretur. Muniuit legem pacis externae bello, ac iussit vim vi repellere, cum iniungit conseruationem, quin alterius laesionem morte persequi concedit, si respicias ad iustitiam naturalem. Concessit laeso ius quaerendi, ut sibi satisfiat, adeo, ut non agat iniuste si laesionem sui velit morte. Iniquus autem esset, qui id in minima laesione ageret; in grauissima potest hoc iure uti; in quibusdam, si de vita mihi est periculum, defendere me etiam alterius internecone iniunctum est. Permittit itaque Iustitia naturalis Ius belli ad alterius usque mortem in laesione scilicet graui.

§. VII.

In ciuitate quidem singulus iuri ultionis et belli renunciauit atque in summum transfulit imperantem.

Ex

Ex hoc singulorum iure vlciscendi in summum imperantem translato oritur ius imperantis vlciscendi laesos atque adeo cum vitae dispendio laedentis. Fingas interfecisse aliquem patrem meum innoxium vel captiuum reddidisse, sine quod haud commode aut plane non viuere possum, eripit mihi homicida ius quod dicunt, perfectum. Fingas fieri hoc in statu, naturali; Competit mihi tunc ius belli contra homicidam, nec, si morte eum persequor, ero iniquus; iniustus plae non sum. Qui enim possum contra laedentem esse iniustus? Quid si inciuitate hoc acciderit? iam non amplius habeo ius vlciscendi laesionem, sed in principem transtuli; princeps itaque exercet ius meum, et iubet, patris interfectorem gladio vitam finire. Exercuit itaque princeps ius singuli: sed exercet etiam ius populi, et hoc est alterum huius principum iuris fundamentum.

§. VIII.

Ius belli, quod habet singulus, competit etiam populo, si vt personam, quam dicunt moralem consideres. Ciuis, si laedit eiusdem rei publicae ciuem in membro ciuitatis laedit ciuitatem siue potius populum; populus, qui ius belli habet, eadem qua homo naturalis ratione, potest laesiones etiam morte persequi; transtulit hoc in principem, qui eodem, quo ipse populus modo potest exercere; princeps itaque potest delictis poenam capitis proponere.

B

§. IX.



§. IX.

Patet, ex his discedere a veritate Beccariam, qui esse ius negat. Tenendus tamen principi modus est, respiciendum ad damnum, quod ex laesione tum singulus, tum res publica patitur. Ex quo efficitur, locum in primis habere in homicidio atque in iis delictis, ubi vita laesi et securitas publica fuit in periculo.

§. X.

Diximus adhuc de eo, cum princeps ius vitae et necis ad puniēda delicta exercet. Iam progredimur ad aliud grauius argumentum: quid de eo fit sentiendum: cum traditio subditi gentis cuiusdam poscitur a gente victricē ea conditione, vt, nisi tradat eum, mortem quam dicunt ciuilem gens patiatur. Quaestio sane multis inuoluta dubiis, quibus extricari haud possumus, nisi multa distinguamus; noxius scilicet, sit an innoxius; vtrum qui tradendus est, ipse consentiat, nec ne? quid tum, si cogendus atque vi tradendus, ac tandem, vtrum gens alia possit ratione extricari ex hac re, an ruina, nisi obsequatur, impendat certa.

§. XI.

Sin est noxius ille; si gentem alteram laesit, facilis est ad diiudicandum quaestio, tunc enim est hostis laesae gentis quem haec bello naturali persequitur, et qui hunc recipit vel defendit, laesae ciuitatis agit inimicum

micum. Aperienda itaque genti hostem persequendi terra, aut, si postulatur, tradendus est, alias enim princeps laesae ciuitati ius eripit perfectum iniustus. Neque hic multum disquirere licet, velit, an nolit laedens ipse tradi, neque ad rem facit gens sit potentissima, an inualida,

§. XII.

At quid, si innoxius ille est? Iam non de eo loquimur qui velit ipse tradi, nec vtrum gens, a qua poscitur innoxius, potentior sit ea, quae poscit. Nam in illo casu volenti non fit iniuria, in hoc, non est quod tradatur; traditio potius tunc prohibetur. Quid si in gente paene diuisa occurrat? Sit vir toga sagoque meritissimus, qui optima quaeque consilia surrogauit patriae, eam his seruauit, omnesque gentis inimicae ausus effecit irritos. Gens victrix, nisi hoc sublato, victoriam semper fore incertam, intelligit; poscit itaque virum illum meritissimum, et ruinae ciuitati minatur certissimam, nisi illum tradat; fingas hunc virum mortem expectari, aut saltem aeternam seruitutem. Quid iam ciuitati faciendum? sane dira quaestio est, quae multum virorum exercuit ingenium. Sunt, qui facili modo decidi posse credant; monendum esse dicunt, reipublicae se quemlibet subicere ciuem, ita, vt si salus reipublicae poscat, pro ea mortem subire velit. Dictu quidem facile, difficillimum autem, si velis probare. Pacisci enim de vita sua nemo potest; aduersatur etiam pacto, quo

ciuitas oritur, quoniam enim non satis tutus erat status naturalis. ad augendam vitae securitatem inierunt homines ciuitatem, non, vt pericula vitae incurrant maiora, vult saluam sibi quisque vitam a republica praestari, si ipse neminem laedit, non mortem. Dicit itaque forsitan aliquis, iniustum esse principem, qui offert vitae periculo innoxium; et rem publicam destruit, si parcat isti, vnus seruat vitam et centuni vitae periculum incurrunt; vnus saluti consulit, et reipublicae ruina certissima est; obstrictus est imperans ad vitam singuli seruandam; at respublica etiam poscit ab illo vitam, quam dicunt ciuilem.

§. XIII.


Quis non intelligat, conflagrare inter se officia; in quo casu sanctius officium est obseruandum. Sanctius sane est, salutem atque vitam totius reipublicae seruari, cum tot hominum salus ab ea pendeat; multorum vitam vnus morte redimere, quam vnus vita multorum accelerare mortem; quid enim certius est, quam gentem illam adeo ferocem omnia esse aurum? Atqui, si sciat princeps vel decem captiuorum vitam vnus morte redimi posse. Quid est, quod hanc tradere dubitet? Eo magis tot millibus debet cauere, qui, etiam si vitae discrimen non incurrant, tamen infelicissimi reddi possunt. Conflictu saltem officiorum demitur tali principis facto iniustitia, et ad gentem, quae tale quid poscit, et agit, retundat.


VD
18

ULB Halle
002 689 030

3







9

1774/14.

IVS VITAE ET NECIS
PRINCIPIS EX RATIONIBVS
IVRIS PVBLICI VNIVERSALIS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.
SOCIO
IN AVDITORIO IVRIDICO
DIE XIII. OCTOBR. ANNO MDCCCLXXIV.
DEFENDET
AVCTOR
CAROLVS GOTTLOB ROESSIG
MERSEBVRGENSIS.

LIPSIÆ
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

